



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 6. Quid agendum sit in dubio, an debeatur restitutio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

tur, nam ad obligationem ex iniusta acceptione reduci potest obligatio ex damnificatione iniusta, est enim quædam acceptio vel subtractio rei alienæ, quamvis subtrahenti sit inutilis: ad eandem reduci possunt obligationes restituendi ex contractu & lege positiva, quia in his præsumitur iniusta læsio, aut præcavetur, cum quandoque soleat & sæpe possit intervenire. Ex dictis,

*Colliguntur seq. 1.* Quando obligatio restituendi dicitur oriri, vel ex re accepta vel ex iniusta acceptione, idem est, ac si diceretur oriri ex iniuria vel materiali vel formali, sive ex læsione juris alieni vel materialiter vel formaliter iniusta, unde rectè notat *Esp. de Just. q. 24.* dici posse adæquatè oriri ex acceptione rei alienæ, nempe vel materialiter vel formaliter iniusta. 2. Obligatio restituendi oritur aliquando solùm ex re accepta, uti si bonâ fide habeas librum Titii putans esse tuum, & tum diceris bonæ fidei possessor; aliquando solùm ex iniusta acceptione, si librum Titii non habeas, sed malâ fide combusseris, & tum non es propriè possessor, sed damnificator: aliquando ex re accepta & ex iniusta acceptione, si librum Titii habeas & acceperis vel retineas sciens esse Titii, & tum diceris malæ fidei possessor.

*Q. 6. Quid agendum sit in dubio, an debeat restitui.* R. Hoc resolvetur à n. 462. & à n. 561.